



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Francisci Tvrriani Societatis Iesv, Aduersùs Magdeburgenses Centuriatores pro Canonibus Apostolorum, & Epistolis Decretalibus Pontificum Apostolicorum, Libri Quinq[ue]

Torres, Francisco de

Coloniae, 1573

VD16 T 1629

Cap. VIII. Responsio de septe[m] hebdomadîs ieiunij Quadragesimae, quas
in epistola Telesphori Magdeburgenses accusant: & de earum differe[n]tia,
& ratione in ecclesijs Orientis & Occide[n]tis, & qui ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-29685

igitur interpres vetus Latinus verit, Quæ sunt quidem rationem sapientia habentia, quæ nemo iam est, si quid rationis & iudicij habeat, qui non videat non coherere cum eo verbo, quod sequitur, in superstitione. quid enim sapientia in superstitione inesse potest, cum semper superstitio in malam partem accipiatur, id est, pro falso cultu Dei? Quare obseruanda est hoc loco interpretatio verbi Græci compositi ἰδωλοθρησκεία, quod proprie religionem significat, vt idem interpres paulò supra rectè verterat θρησκεία, cum dixit, in religione Angelorum. nõ enim voluntas, quam significat altera pars huius verbi compositi ἰδωλοθρησκεία, facit ex religione superstitionem, sed error & ignorantia veræ culturæ. Libenter quàm accuratè & studiosè potui, hunc locum epistolæ ad Colosæ explicauit, quod eum hæretici ad suam & aliorum perditionem peruersè & intelligendo, & interpretando, ex duobus generibus diuini cultûs in nouo etiam testamêto, quorum alterum est νομιμιστικόν, id est, lege præscriptum, alterû ἑκούσιον, id est, spontaneum, illud prius tantum relinquunt: alterum, contra scripturam veterem & nouam, funditus tollunt, quasi ad idololatriam pertineat, vt blasphemè calumniantur, aliquid ex voto aut ex voluntate Deo offerre: cum hoc in vetere quoque testamento non solum non prohiberet DEVS, sed etiam approbaret ac laudaret, vt antè docui, & locos indicaui, ac de his hæc tenens.

Responsio de septem hebdomadibus ieiunij Quadragesimæ, quas in epistola Telesphori Magdeburgenses accusant: & de earum differentia & ratione in ecclesijs Orientis & Occidentis, & qui Patres antiqui de eis meminerint: & de octo hebdomadibus Arianorum. Cap. 8.

Differamus deinceps de septem hebdomadibus plenis, quas Telesphorus Clericis ante pascha à carne ieiunare iubet, quod in epistola Telesphori Magdeburgenses reprehendunt: atque ita reprehendunt, vt propter hoc eam epistolam negare non vereantur. Non enim credunt, quod tam antiquus Pontifex, septimus scilicet post beatum Petrum, à carne septem hebdomadibus ieiunare præciperet: quod inhumanum fortasse visum est istis, & tanti pontificis decreto indignum. Deinde actum esse de Quadragesimæ ieiunio putauerunt, si hanc epistolam negaret, quasi Quadragesimæ ieiunium a Telesphoro primû in hac epistola sancitum esset: at non ita est: quod ipse etiam Telesphorus satis apertè significat, cum statuit, vt Clerici septem hebdomadas plenas ante pascha à carne ieiunent: quia sicut discreta, inquit, debet esse vita Clericorum à Laicorum conuersatione, ita & in ieiunio debet fieri discretio. Erat igitur statutum ieiuniû, quod ex æquo Laici & Clerici communiter ieiunabant septem hebdomadibus nõ plenis. incipiebant enim à quarta feria, vt hodiè incipimus. Pontifici autè visum est æquû, statuere ac suadere, vt Clericorum ieiunium paulò maius esset, propter eorum gradû excellentiorè, id est, vt inciperet biduo antè, id est, à

*Quadrages.
ieiunium an-
te Telesphorū
fuit.*

est, à secunda feria, quod vsque in hodiernum diem ab omnibus per totum Orientem, (dicam postea rationem) apud nos verò per totum Occidentem à Monachis & Clericis regularibus, quos vocant, obseruatur. statuisse autem Telesphorum Pontificem omnibus Clericis hanc religionem incipiendi ieiunium à secunda feria septimæ ante pascha hebdomadæ, *ὡς ἰδιόθερον κίαν*, id est, tanquam spontaneum cultum, & non tanquam necessaria lege sancitum, perspicui potest ex ipsa Ecclesiæ sanctæ & catholicæ consuetudine religiosa. exceptis enim Monachis & Clericis regularibus, qui quidem à principio hanc Telesphori sanctionem suasoriam receperunt, & religiosa consuetudine semper seruauerunt, reliquis omnibus liberum est à secunda feria, aut à quarta, ut ferè omnes solent, ieiunium Quadragesimæ inire, nec vnquam apud nos exprobrari aut repræhèdi consuevit, si qui à quarta, & non à secunda feria ieiunare inciperent. Quare conuenit hic dicere, quod ait Ioannes Damascenus in libello, quem de ieiunijs ad Cometam scripsit: postquam enim dixit, septem hebdomadis ieiunandum esse, idque secundum apostolicam institutionem, quæ in libro 5. Clementis scripta est, quæ Quadragesimæ ieiunium à secunda feria inire præcepit, idque visum esse magno quoque Athanasio *ἐν τοῖς ἰσραηλικοῖς λόγοις*, & Petro martyri Patriarchæ Hierosolymitano, & beato Basilio in sermone contra ebrios, & S. Anastasio Antiocheno *ἐν τῷ ἰδὲ λόγῳ*, subiungit: Hæc est regula & lex Ecclesiæ, quam in sancta Christi Dei resurrectione seruari scimus: sed abundare in bono, & *ἐπιδαψιλεύσθαι τὴν ἀρετὴν*, id est, & exuberare virtutem, non est improbandum, sed potius Deo & hominibus prudentibus gratum, ita tamè, ut vis nulla fiat, nec imponatur necessitas, sed suasio adhibeatur, nunc præsertim in hac temporis difficultate, utrunque enim nunc utile est & necessarium, addere ad bonum, & à violentia abstinere. Deinde subiungit: Quis iuberet, ut per vniuersum vitæ tempus vnum ieiunium esset? Verùm alius est modus admonitionis, alius Legislationis: Satius sunt, quæ ab spiritu sancto sancita sunt, *νοῦ δεξιῶν ἢ προσθηκὴ ἀγαθῶν*, id est, admoneatur accretio, siue accessio boni.

Ieiunij indistincti Haec tamen Damascenus, immò in ijs etiã ieiunijs, quæ lege præscripta sunt, *lex suavis*, & vsque aded est suavis lex, & ad infirmitatem nostram accommodata, ut per ad infirmitatem cuiusque viribus modus ieiunio ponatur, nè corpus debilitetur. Vnde in nostram accommodata. Ecclesijs catholicorum per eundem Orientem & Occidentem alij in pane & aqua ieiunant: alij modico vino propter stomachum vtuntur: alij piscibus: alij solis herbis & leguminibus: alij aridis tantum, quod genus ieiunij *ἕυροφαγία*, vocatur: & ex his alij plus, alij minus sumunt. Alij rursus vsque ad vesperam, alij vsque ad nonam prandium differunt, alij vsque ad meridiem tantum: & horum partim nihil vsque ad posterum diem degustant, partim paululum. atque ita fit, ut omnes, quos aut ætas, aut infirmitas non excusat, idonei sint ad ieiunia. Hanc moderationem elegantissimis versibus Prudentius noster in hymno post ieiunium descripsit ante annos

Ergò

*Ergò nè limum (inquit) fragilem solutæ
Deferant vires, & aquosus albis
Humor in venis dominetur, ægrum
Corpus eneruans:*

*Laxus ac liber modus abstinendi
Ponitur cunctis: neque nos seuerus
Terror impellit: sua quæque cogit
Velle potestas.*

*Sufficit, quidquid facias, vocato
Numinis nutu prius, inchoare:
Siue tu mensam renuas, cibumve
Sumere tentes.*

Annuat dexter Deus.

Non dicit, nullam legem ieiunandi esse, vt carnales Lutherani tradunt, sed pro cuiusque viribus temperatam esse ieiunij legem, de qua in principio eiusdem hymni, celebrans lenitatem legis ieiunij, sic ait: *Prud. legem & dogma ieiunium vocat.*

*Mollibus qui nos moderans habentis,
Leniter frenas, faciliq; septos
Lege coerceres.*

Deindè comparans duritiem ieiunij Christi cum lenitate nostri, subiūgit:

*Ipse cum portans onus impeditum
Corporis, duros tuleris labores,
Maior exemplis, famulos remisso
Dogmate palpas.*

Legem & dogma, id est, decretum, siue præscriptum ieiunij dixit cōtra no- uos hæreticos, qui dicunt non esse ieiunādum ad præscriptum, sed sine vl- la lege & præcepto, libertatem Euangelij, quam ignorant, prætexentes ma- litia & intemperantia, & transferentes eam contra verbum Dei in occasi- onem carnis. Nos ergò non secundum legem seruitutis, & terrore impulsi, sicut ait Prudētius, ieiunamus: sed ipsa charitas impellit nos, si est potestas, & vires suppetant, vt legem ieiunandi seruemus. hoc enim significat, quod ait, sua quæque cogit velle potestas. Sed vt ad vij. illas hebdomadas Te- lesphori redeamus, benè mihi hoc loco Gratianus cōiectâsse videtur, cūm censet dist. 4. cap. Statuimus, hanc bidui accessionem ad ieiunium quadra- ginta dierum, quod sancti Apostoli vt necessariò seruandum sanxerūt, tam decernendo statutam esse, quàm exhortando conscriptam. His enim ver- bis vtitur: Vndè synodus Aurelianensis prima, dist. iij. cap. Sacerdotibus, *Redit ad Te- lespho. vij. he- bdomadas, quarū ieiunium non iussu, sed suatum est.*

Zzz

hanc

hęc Cōstitutionē Telephori veluti interpretans, iubet ca. 26. vt Sacerdotibus ante Paschæ solennitatē nō Quinquagesima, sed Quadragesima teneatur, i. vt nō sit in obligatiōe legis Quinquagesima, licet suadēda sit, vt quidē Telephorus suasit. Quōd si adhuc Magdeburgēses, septem istas hebdomadas Quadragesimalis ieiunationis in epistola Telephori fictas esse putatis, & idcirco epistolam negatis, ite ad Ecclesias Orientis, & interrogate eas de septem istis hebdomadis. legite veteres patres, cū alios, tū eos, quos Ioānes Damascenus paulō ante pro testimonio earum produxit. Deindē quia Ecclesijs Orientis, vt eis congruebat, traditum erat à sanctis Apostolis, vt Sabbatis Quadragesimæ, vno magnæ hebdomadæ excepto, non ieiunaretur, quærit idem author Damascenus in eodē de ieiunijs libro, quēmodum seruetur ieiunium quadraginta dierum ab Apostolis traditū, nisi quinque diebus ieiunetur hebdomadis octo, quas Seuerus Acephalus, Patriarcha Antiochenus, omninō ad ieiunium Quadragesimæ pertinere, vt idem Damascenus author est, malē contendebat: quas Ariani quoq; tenebant, vt ex sancto Anastasio, qui eos refellit, intelligi potest. Respondet ergō Damascenus ad quæstionem à se positam, ieiunium esse non solum *παρακλησην μέχρις ησπερας ασιτιας, ἀλλὰ τὴν τινῶν βρωμάτων ἀποχήν*, id est, non solum, inquit, ieiunium esse, cū ab aurora vsque ad vesperam nihil prorsus editur, sed etiā cū ab aliquibus cibis abstinetur: vt ieiunare, inquit, dicimur, à vno & carne. deindē subiungit: Fortasē iubet canon Apostolicus quinque diebus hebdomadis ieiunare *παρακλησην* id est, nihil edendo (scilicet ab aurora vsque ad vesperam, vt prius dixit: ita enim intelligendū est, vt modō est orientalibus Ecclesijs in consuetudine, vocemus hoc nos plenum ieiunium) duobus verō, reliquis duabus hebdomadīs, Sabbato & Dominico, abstinere à quibusdam cibis. (hoc vocat Tertullianus in libro contra Pſychicos, portionale ieiunium) cū enim (inquit Damascenus) duocerant & concurrunt, fortius superat & anteponitur, vt cū lex erat de circuncidendo octauo die, & de quiescendo die sabbati, natus in sabbato, sabbato circuncidebatur, & lex circuncisionis soluebat legem sabbati: sic, inquit, quia vincit resurrectio Domini, quæ die Dominico facta est, propter resurrectionem, quæ à vespera sabbati coli & honorari incipit, soluitur lex pleni ieiunij in sabbato. Hanc traditionem Ecclesię Orientales, vt eis, sic cū existimandum est, congruebat, à sanctis Apostolis acceperunt: nos verō in Ecclesijs Occidentis aliam accepimus. Huc pertinet, quod scribit sanctus Dorotheus in libro de ieiunijs, visum esse quibusdā patribus addere vnā aliam hebdomadam ad septem, vt se ante ieiunium Quadragesimæ exerceant, & velut ad labores ieiuniorum prepararent. Sed hanc consuetudinē, quam hodiē etiam Ecclesiæ Orientis seruant, sciunt ipsæ non ad necessitatē legis de ieiunio Quadragesimæ pertinere, sed ad illam *ἰδελθροσικίαν* Pauli, id est, ad spontaneam illam religionē, quæ illis à præpositis suis proposita, & suasa, & recepta est. Hastenū de septem hebdomadis ieiunij Quadragesimæ,

Octo hebdomada Ariatorum.

Ieiunium plenum ex portione.

Dorotheus de ieiunijs.

firmæ, & de earum differentia, & ratione in Ecclesijs catholicis Orientis & Occidentis, quæ consuetudines ex Apostolicis traditionibus profectæ, sancta religione ab initio vsq; in hodiernum diem cum magno fructu seruantur & coluntur. Ipsum verò ieiunium Quadragesimæ institutum, ac decretum esse à sanctis Apostolis, testis est Apostolica cõstitutio à Clemente Romano in libro 5. scripta, quæ hodiè per omnes Ecclesias catholicorum custoditur, quam eisdem verbis Ioannes Damascenus in eodem libro, quem sæpè dixi, de ieiunijs recitat, recitat quoq; S. Anastasius Patriarcha Antiochenus ante mille annos, in libro, cui titulus, *ἀδύτης*. idem testatur beatus Chrysostomus in homilia de ieiunio primi Paschæ, de qua suprâ memini. Item beatus Hieronymus in Comment. Esa. cap. 58. Quadraginta, inquit, diebus Dominus ieiunauit, vt nobis solemnes ieiuniorum dies relinqueret. Petrus Chrysologus sermone xj. Quòd quadraginta, inquit, diebus ieiunamus, non humana inuentio, sed authoritas diuina est. Idem affirmant Ambrosius, Augustinus, & Leo Magnus, & multi alij, nè omnes enumerè.

Quadragesima ieiunij ex Apostolica esse traditione testimonia.

Defensio doctrine, quam in epistola 1. Clementis & Anacleti 1. reprehendunt Magdeburgenses, Quòd maiores sint Episcopi & sacerdotes, quàm Principes & Magistratus, ex scripturis & Apostolicis constitutionibus, & de loco Pauli, Subditi estote non solum propter iram, sed propter conscientiam, quem hæretici deprauant. Cap. 9.

Reprehendunt præterea Magdeburgenses in eadè epistola Telesphori, quòd laicos, inquit, à Clericis distinguat propter sanctitatem, cum tamen omnes dicantur pij in scriptura.] Nihil aliud hic respondeo, quàm quod in alio simili loco in superiore volumine respondi, videri mihi istos dicere, quod in Num. Coritæ cum Dathan & Abiron aduersus Moysen & Aaron dixerunt: Sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dñs, cur eleuamini super populum Domini? Sed recitemus quæ Telesphorus scripsit. Et sicut Clerici, inquit, ampliùs sunt applicati diuinis cultibus, & familiares Domini dicuntur, ità moribus & conuersatione, atq; sanctitate debent esse distincti. Et Clemens sic ait, docuisse beatum Petrum, cunctorum sacerdotũ vitam superiorem sanctioremq; atq; discretam à secularibus & laicis omnibus esse, & spirituales quo sq; atq; sacerdotes super carnales atq; laicos semper constituendos docebat. eodem verbo vsus est Clemens, quo Dominus in Euangelio, cū ait, Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dñs super familiam suam? Hæc ergò cū vos Magdeburgenses accusatis, quid aliud dicitis, quàm quod impij, seditiosi, & superbi Coritæ? illi enim dixerunt, Omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus: Vos dicitis, nõ est distinctio Clericorum & Laicorũ in sanctitate, quia omnes pij, in scriptura dicuntur sancti. Illi dixerunt, Cur eleuamini super populum Domini? Vos dicitis, Episcopi & Sacerdotes nõ sunt super Principes & Magistratus.

Num. 16.

Similitudo Magd. & Coritarum. Luc. 12.

Num. 16.

Zzz 2 statim